

Dissertatio medica de scorbuto / [Matthaeus Brengger].

Contributors

Brengger, Matthaeus
Sennert, Daniel, 1572-1637
Universität Wittenberg

Publication/Creation

Wittenberg : Heirs of J. Richter, 1620.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hfffph7r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10:

DISPUTATIO MEDICA, SCORBUTO

Quam

CUM DEO

P R A E S I D E

Clarissimo atq; Excellentissimo Viro,

Dn. DANIELE SENNERTO,

Phil. & Med. D. Facultatisque Med. P. P.
Ac Seniore,

*Publico Medicorum Auditorio Examinandam
Proponit*

MATTHÆUS BRENGGER
Augustanus.

Ad diem 5. Maij.



VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica bered. Joan. Richteri.

ANNO CLC IAC XX.

Iisdem à diversis, quas afficit, partibus etiam **Scormund** & **scorbein**/ à vacillantibus & laxis dentibus ac gingivis, languidisq; cruribus: & ab horum maculis puniceis etiam **Blauschuit** nuncupatur. Græcorum σομακάη & σκελοτύρεη, quas & Plin. l. 25. c. 3. recenset, si non eadem cum Scorbuto sunt, magnam tamen cum eo cognationem habent. Magni lienes Hippocratis & ejusdem volvulus Hæmatis, l. de Internis affect. descripti Scorbuto plærisq; signis, tam appositiè conveniunt, ut Langius l. 2. Epist. 14. & ex eo Greg. Horstius eundem planè cum Scorbuto esse affectum asserant.

Hujus Natura ut pateat, ejus aliqualem non quam volebamus, Definitionem, sed quam poteramus Descriptionem hanc ponimus:

II.

Definitio. *Scorbutus est Humoris Melancholici, ex deficiente coctione & τνευματώσει salis esculenti, geniti, & in primis viis, Mefaraicis videlicet circalienem accumulati, & præter naturam detenti corruptio peculiaris; multifariâ læsione variis hominis partes invadens & crucians.*

Generatio- Generatur frequentissimè apud Hollandos, Seelandos, Danos, Swecos, Germaniq; maris littus incolas &c: His enim cum causa præcipua, à quâ ut plurimum oriri solet hic affectus, nunquam desit, non potest non esse familiarissimus. Nam aëre victusque ratione utuntur, crassâ crudâ, sale culinario, fumo putredine corruptâ, cæterarumq; non naturalium rerum usus ut infra patebit, omnis talis est, ut ad Melancholici humoris generationem plurimum faciat. Quæ vivendi ratio incommoda, optimam etiam corporis constitutionem, statu suo dejicere potest. Alimenta enim ejusmodi, magnâ ex parte arietinæ, amenantia negl. iuxveg, ut vocat Hip. l. de Præca Med. tantâ copiâ quotidie assumpta, ita naturam prægravant, ut etiam à satis valido aliâs, corpore, coctriceque virtute in iis pro viribus laborante vinci tamen & concoqui non possint. Unde viscerum, coctioni dicatarum facultates tandem succumbentes,

bentes, paulatim debilitantur, depravantur & quotidiè ad exquisitam ciborum elaborationem ineptiora redduntur : quâ ratione coctio & πλυντωσι illa, quâ omnia assumta fermentare & quodammodo spirituascere, ut sic loquar, oportet, impeditur, ut sal esculentus, fixusq; tartarus copiosè istis cum cibis ingestus, fixam suam naturam deponere & volatilis atque animalis fieri, ut debebat, non possit, & partes impuræ, inutiles, ac tartareæ, ut à Chymicis appellantur, ab utilibus & puris probè separari nequeant.

Unde non tantum nutritionis opus depravatur ac fine suo frustratur aliqua ratione : sed etiam sal ille fixus ac pertinax, cum à liene omnis attrahi non possit; tam ad nutritionem quâ ad excretionem, naturæ consuetam adhuc ineptus, primis viis otiosè adhæret, cūq; propter caussæ, quæ hunc producere solet, continuationē, ejus copia augeatur quotidie ; fit ut angustiores Mesaraicarum meatus magis magisq; eâ obsideantur. Sali huic alii humores obvii quivis, crudi sæpè ac vitiosi, cōjunguntur ac permiscentur: Aquibus omnibus Melancholicus ac tartareus ille humor ad scorbutum necessarius, producitur, qui in primis viis p. n. diutius detentus, ulterius corruptitur, usq; dum tandem dispositionem pravam contagiosam Scorbuto peculiarem, acquirat. Humor hic tartareus, specificè corruptus, multo sero dilutus, ubi cum sanguine conjungitur, cum eodem non tantū in venas & arterias, sed & ex iis in varias corporis partes, etiam musculos, tendines atq; articulos &c. effunditur . pro quarū ratione mirâ symptomatum varietate, ægros torquet. Namq; ubi in habitum corporis extra venas elabitur, cum neq; corpori assimiliari, neq; excerni commodè queat, otiosè ibi hæret, partium nutritionem impedit & gravat, corpus enervat atq; elumbē reddit &c. Quod si malignus falsi hujus ac specifice corrupti humoris vapor ad gingivas cum Sanguine adscendit, mollem teneramq; eorum carnem subit, eamque suâ raritate laxum in tumorem attollit, salsa v. acrimoniâ suâ arrodit, unde pruriginosa quædam titillatio in gingivis sequitur, quæ etiam levi attrituras agunt, & sanguinem seorsum emittunt. Quâ de causâ eadem caro tandem flaccescit ac putrescens difflit & à dentibus recedens, eos vacillare atq; ex ore planè elabi facit.

Si natura adhuc robustior sit, ut humorem hunc superfluum ac tartareum ad partes corporis remotiores atq; ignobiliores depellere possit, vena cava per ramos crurales sero mediante, ad crura eum deducit; unde vel per Διαπόδησιν, vel αιαστόμωσιν, vel aliâ ratione, per venulas exiles & capillares ut plurimum ad superficiem cutis cum sanguine dimittit, & hâc ratione maculas primùm rubras recente quippe adhuc sanguine, paulatim tamen ad purpureum lividumq; colorem accedentes, prôducit; aut alia yâ humorem salsum ac tartareum ligamentis ac tendinibus, (ad quos κατ' ἔΦεσιν quandam teste Aristot. 3. de part. Animal. glatinosæ atq; crudiores sanguinis partes feruntur,) & ipsæ muscularum substantiæ communicat, eamq; erodit, crurum languorem atq; imbecillitatem & nonnunquam dolores podagrîcos efficit: Atq; si fixus hic tartarus majus adhuc incrementum in crûrum vinculis sumat atq; insuper à sero, cui liquidus inhærebat tartarus, deseratur, paulatim pro suâ natura excari, indurari & coagulari incipit, unde crus rigidum redditur motuque ferè privatur, & paralyseos quandam speciem mentitur.

Eadem ratione alia quoq; mala obstrunctiones, tumores, dolores, erosiones, ulcera, & sexcenta alia ex hisce propullulantia mala hinc inde Scorbustus gignit: quæ omnia recensere prolixum nimis ac proinde instituti nostri non est, atq; ab aliis autoribus prolixè, in primis à Severino Eugaleno, recensentur.

Et ita quidem de Scorbuti generatione sentimus, non sine causa, ut ex sequentibus patebit.

Non autem hæc proponimus, ut cuiquam ea obtrudamus, sed cum verisimilia nobis videantur, eum saltem in finem adducimus, ut ansam habeamus, in hęc & similia accuratius inquirendi, veritatemq; in profundo sepultam quasi, facilius eruendi.

III.

Subjectū.

Ex dictis, quid de Subjecto Scorbuti proprio sentiamus, facile patet: hoc enim primas vias, Messaraicas videlicet, circa lienem præsertim esse dicimus.

Plaxiq; equidem qui de Scorbuto scripsérunt, lienem pri-
mariò affectum esse, & ex ejus solius lāsione, reliqua omnia de-
pendere mala contendunt. Nos autem ipsorum calculo ex
toto subscríbere vix possumus: cum illud viscus, quod suo mu-
nere, in Scorbuto, sèpius legitimè fungitur, hujus mali reum
talem facere non liceat. Quamvis enim lienem in Scorb. sæ-
pè etiam per se affici, ejusq; facultates, in attrahendis & elabo-
randis humoribus chyli rudiōribus, scopum suum ex toto non
attīngere haud inviti concedamus, semper tamen id fieri ac pro-
prio lienis vitio splenicas operationes in omni Scorbuto impe-
ditas esse non sine causâ negamus. Cum enim præter alia,
Anatomica, Cadaveris, scorbuto extincti, inspectio, lienem,
hunc in finem studiosè investigatum, sanum, integrum, nullâ
vel obstructione, vel aliâ dispositione pravâ, corruptum ostendit;
splenem semper nā dñna' dñs' affici, & proprium ejus
subjectum esse non posse manifestum est: & propterea, quod
lienis operationes debitum perfectionis gradum sèpius non af-
sequuntur, non ob propriam debilitatem atq; depravationem
id fieri censendum est. Nam quemadmodum ventriculus,
etiam optimè constitutus, & omnibus facultatibus instructissi-
mus, coctionis suæ officium probè absolvere atque perficere
nequit; si concoquendi materiam aut multam nimis, aut alię-
nis & noxiis qualitatibus infectam recipiat: ita quoque lien.,
qui rudiorem chyli portionem aliâs naturâ suâ alicere solet, hīc
crudi feculentiq; falsi ac tartarei humoris in Mesaracis præter
naturam aggregati, nimiam copiam, nec omnem, neque sibi
vicinisq; partibus pro nutrimento satis commodam, sed vitio-
fam in viis proximis pravâ ac specifica qualitate corruptam at-
trahit, non suâ culpâ; sed faltem ob materiae conditionem &
abundantiam. Fit equidem non raro, ut contactus & fumi
humoris specificè corrupti sine intermissione attracti similem
corruptionis formam lieni imprimant, ut & is tandem in con-
tagii communionem consentiat, & scorbuticam dispositionem
induāt. Veruntamen quia nō primò nec semper & in omni scor-
buto lien ita afficitur, subjecti proprii nomē sustinere nō potest.
Aliâs n. & alia viscera, & nunc hanc nunc illam corporis par-
tem,

tem scorbutica corruptione infectam pro subjecto primario ac proprio venditare oporteret, quod facile nemo fecerit. Reliquum ergo est, præcipuam scorbuti materiam, non lienii sed primis viis semper ac primariò in hærere statuamus. In his n. quando fecum hujusmodi salsarum ac tartarearum copia non major colligitur quam quantam lienii alicere ac superare potest; bene se res habet; illæq; hujus beneficio à superfluis fecibus satis expurgatæ locum Scorbuto nullum concedunt. Sed tum demum idem sequitur, quādo nimia succi attrahendi copia in iis cumulatur, quam neq; attrahere neq; concoquere splenicæ virtutes possunt.

IV.

Causa proxima. Causam Scorbuti proximam ponimus humorem crudum Melancholicum ichorosum specificā quādam corruptione peccantem.

MELANCHOLICUM HUMOREM in specie cum *Salom.* Alberto de Scorb. tb. 61. *VV*eiero de morb. incogn. p. 3. *Eugal.* p. 3. *Forest.* l. 20. obs. ii. &c. ponimus, quia hujus abundantia cognoscimus partim ex causis externis alimentis sc. quæ scorbutum producere solent, quæ omnia ad nullum alium humorem tantā inclinationem habent, quam ad Melancholicum, & proinde in eum facilius quam quemvis in aliud transeunt: partim ex effectu, symptomatibus sc. Melancholicis, quæ hunc humorem arguunt, atque semper magno cum sunt &c. languore, ac tristitia insigni conjuncta &c. CRUDUS autem est humor, quia crudiores chyli partes ab utilibus coctione elaboratis, non probè avertuntur, sed simul ad epat deferuntur, unde ejus *ajuātōris* impeditur, sanguisq; in venis ejus depravatur, alienæ materiæ cōmīstione, quæ copiosè nimis in Mesaraicis colligebatur. PECULIARI verò CORRUPTIONE DEPRAVATUM esse dicimus: quia fieri non potest, quin illa materia cruda & ad alterationē sive concoctionem perfectā inepta tam diu in loco, omnibus alimētis pervio, detenta & variis qualitatibus alterata, tandem qualitatē induat alienam: quod fieri h̄ic pr̄ter alia contagia docet. Cum n. plériq; morbi contagiosi à causā aliquā malignā & occultā quæ sub minimā quantitate magnam, agendi sibiq;

sibique similia generandi, vim habet, oriantur; etiam Scorbū-
tum, qui alteri, levissimo sēpe contactu facile communicatur,
à malignitatis nota liberare non possumus. Et sanè tanta sym-
ptomatum diversissimorum diversitas vix ab eādem causā ma-
nifestā oriri posset, nisi occulti quid accederet. Licet enim
partium diversitas magnam, symptomatum, ab eadem causā
etiam manifestā, prodeuntium, varietatem causare possit: cum
tamen affectus in eadem parte diversos, oppositos, quin imò uti
videntur, contrarios haud raro excitare scorbutus soleat; non
videm⁹ quomodo ab occulta & specificā æliquā corruptionis
labe eundem defendamus.

V.

*Generatur autem humor hic Melancholicus Causa an-
specificè corruptus ex deficiente coctione Επινευ= eccedens.
ματῶσει salis esculenti Επι ciborum crassiorum.
Hac enim de causa humor crassus, falsus, fixus, ac
tartareus in primis vijs accumulatur exituque de-
negato peculiarem postea corruptionem induit.*

Περὶ γενέσεως Scorbuti hanc esse non sine causa assigna-
mus. Cum enim ad omnem curationem haud parum faciat, ut
in conspectu habeatur non tantum in genere humor peccans;
sed in specie determinetur, unde originem ducat διώμεις illa
Hippocratica, cuius *Cl. D. Præses l.2. Inst. p. 2.c.3.* meminit, quæ
excessu suo hominem afficit; quod legitimum ac determinatum
ei remedium opponi possit: etiam in Scorbuto penitus cau-
sam rimari, & originem διώμεος illius καὶ αἱρότητος, quæ
in ea maximè excellit investigare ac determinare, eiq; contra-
rium opponere remedium ex usu erit.

Si autem præter alia causas eius remotiores, passim ab o-
mnibus de Scorbuto tractantibus annotatas, & curationem
usitatam exactius pensitemus, omniaque diligenter examinata
invicem conferamus, acquiescere in humore Melancholico in-
determinato vix possumus. Neque enim *Ut in tract. de febr. lib.
2. cap. 20. p. 572. Crariss. Dn. Præses* refert huius naturam primariū

qualitatum alteratio atque mistio absolvit, Cum in his ne ipse quidem Hipp. subsistat, sed tum alibi, tum 3. de ratione victus in acut. t. 38. ulteriore, eius naturam indagandi ansam, præbere voluit ubi de acido, de amaro, de fermentatione & generatione humorum salsorum in corpore nostro quædam injicit, unde non tam ad primas qualitates quæ ad diversas salium naturas in eius generatione respiciendum esse videtur.

Inter causas ποναταρπτικas atque externas à rebus non naturalibus dependentes, præter alia, omnes uno ore aërem marinum crassis salsis squalidis vaporibus imbutum, cibum ac potum crudum crassum, feculentum, putridum, multo sale imprimis conditum, fumo induratum &c: recensent: quæ omnia, non tantum ab omnibus ad victus rationem Melancholicam referuntur; sed etiam penitus eorum conditiones introspicienti ulterius quid suggestere videntur. Determinant quippe huius humoris Melancholici naturam, & qualis sit manifestum reddunt.

Cum enim manifestum sit hisce in alimentis siccis, duris putridis, succi partes humidiores, aliquomodo volatiles, & quæ probum corpori alimentū præbere possunt, aut naturā suā paucissimas inesse; aut vel sale quo condiebantur multo corruptas, vel putredine depravatas vel denique fumo absumptas & exiccatas esse; ut nil ferè nisi fixum quid, excrementium, ἀγεντον ήγή ιχυεόν deprehendatur, ipso gustu vix quicquam tanto, quam salem fixum, excessu referens, non sine causa ab hoc ipso sale fixo humorem Melancholicum maximā ex parte ortum ducerere statuimus. Cum præsertim idem Medicamentorum quibus scorbutus curatur, qualitates, evincant.

Nam quæcunque hactenus, non nisi multiplici experientia huic morbo resistere, eiusque sæva symptomata lenire ac pellere observata, & occultā ac specificā quadam proprietate magis, quæ manifestis viribus id præstare credita sunt, omnia in eo convenient, quod sale volatili abundant: cui soli effectum felicem maximam partem meritò adscribimus. (nisi forsitan occultum quid, specificam humoris depravationem, respiciens

respiciens simul operetur, id quod non omnino negamus) cum enim id, quo præsente & operante, morbus pellitur, absente verò idem immotus manet, sanitatis secuturæ causam primariam jure optimo statuamus; salem volatilem in medicamentis contentum ab hac excludere nequaquam possumus. Nam omnia medicamenta, etiam efficacissima in alijs effectibus, qui cum scorbuto sæpè magnam cognitionem habere vulgo videntur, si sale hoc volatili omnino destituantur, sola parùm aut nihil in scorbuto faciunt: imò malum sæpius augent, magno ægri cum incommodo; ut accuratissimus symptomatum scorbuticorum obseruator Severinus Eugalenus passim annotavit, nisi sale hoc abundantia, quæ appropriata ille vocat, admisceantur, aut jam antea usurpata fuerint. Hæc ubi in usum venerint, otium non agunt in corpore, sed causam morbi potenter aggrediuntur, & quanto magis sale hoc abundant, tanto feliciorem ac celeriorem sortiuntur effectum: quò verò minus continent eiusdem, eo debilius operantur.

Abundant autem sale hæc omnia quæ ab authoribus plærisque appropriata & specifica antiscorbutica vocantur: qualia sunt impræmis cochlearia, Nasturtium, Absinthium, fumaria, chelidonium minus bekapunga, armoracia, sinapi &c. quæ omnia, trita vaporem subtilem acrem citò evanescentem ut plurimum spirant, & qualitates tales etiam ipso gustu exhibent, quemadmodum & omnia alia quæ hoc nomine apud autores veniunt.

Quod autem medicamenta hæc non tantum occultis virtibus, sed beneficio salis volatilis effectum hunc præstent, ex eo facile colligitur: quod eadem vase aperto decocta, aut exiccata de viribus suis haud parum remittant, & succo eorum recens expresso, aut destillato, ut sæpè observavit Eugalenus, plurimum efficiaciæ cedant: cum in illis partes volatiles, proindeq; & sal aut igne absensus sit, (quod præter alia, penetrans, qui inter coquendum exhalat, odor docet) aut unà cum humido exiccato evanuerit: cum tamen vires occultæ alijs etiam in siccis integræ maneat, ut ex rhabarbaro, mechoacanna, Angelica alijsque manifestum est:

In succo verò recenti aut destillato, ut & conservâ, sal ille subtilis adhuc integer, proprioque in humore pleno robore habitans, munus suum potenter exequitur.

Cum autem, ut ex dictis constat, omnia antiscorbutica, quām diu talia manent, salem volatilem copiosum contineant, & quantum de eo amittunt, tantum suis de viribus perdant, facile patet proprietatem illam hactenus à Medicis vix satis determinatam passim tamen ferè decantatam, maximam partem in sale volatili consistere.

Quia autem secundum Hip: morbum Curatio indicat, & omnis aëtio sit inter contraria & à contrarijs, ut habet Arist. l. i. de gen. c. 7. text. 50.51. & agens eatenus in patiens agit, quatenus ei contrarium est; sequitur etiam salem volatilem, vires suas exercere in id, quod sub eodem genere proximo ipsi maximè est oppositum. Opponitur autem inter salia volatili fixus, proindeque ab eodem suā naturā in congressu oppugnatur. Ex quibus colligitur, omnia antiscorbutica, cum beneficio salis volatilis hoc in affectu tam sint efficacia, causam Scorbuti ideo invadere, oppugnare atq; expugnare, quia illis est contraria. Si ergo contraria est sali volatili, utique à sale fixo depēdere eam, necesse est.

Cumulatur autem sal ille fixus in primis statim vijs, ex defectu coctionis, tum primæ, tum secundæ. Cum enim natura per coctionē id intendat, ut alimenta in ventriculo variè resoluta & mista humanæ naturæ consentanea reddantur, necesse est ut partes impuriores ab utilibus, separentur: quā de causa prima statim coctione, partes maximè excrementitiæ, & nullâ ratione utiles secernuntur: eæ verò, quæ ad alendum corpus indoneæ sunt, in ventriculo & intestinis, propriâ ipsorum vi, inchylum elaborantur: qui cum nondum eam habeat similitudinem ut humidum radicale reficere possit, ideo jecori tanquā sanguinis officinæ communicatur; partibus ichorosis & Melancholicis adjumento lienis prius aversis & separatis, ubi $\Sigma\chi\mu\Theta$, ille succus, sanguis videlicet producitur, reiectis excrementorū reliquijs partim per vesicam bilariam, atque meatum $\chi\lambda\lambda\delta\omega\chi\eta\alpha$ ad alvum, partim renibus mediantibus ad vesicam

cam urinariam : ubi interim lien, attestante *Platero l. 2.tab. a-*
nat. & Bauhino l. 6. Theatri Anat. c. 43. &c. sanaque ratione con-
sentiente, operam suam navat in elaborandâ crassiore chyli
portione; quam mediante sero copioso, quo antea diluebatur
& ad fluxum præparabatur, proximis è vijs attraxit ut ex Ari-
stotele & Hipp. collegit. *Horsius Exer. 1. de scorbut. thesi 8.* In hoc e-
nim latet humor hic feculentus & crassus, ut ex Hipp. & Gal. do-
cet *Clariss. Dn. Praes. Instit. Editione 2. l. 2. parte 2. c. 8.* non secus
ac in lixivio, in quo sal & feculentæ atque adustæ partes ita a-
quæ miscentur ut non statim animadvertantur; levi autem re-
solutione separari & ad oculum demonstrari possunt. Offici-
um ergo hîc suum lien præstat in alterandis & in sanguinem
concoquendis, ichorosis ac Melancholicis chyli partibus, ace-
tosis & ponticis qualitatibus Salis vitriolati & aluminosi na-
turam referentibus, præditis.

Notandum autem quod separatio hæc partium hetero-
genearum atque excrementorum fieri nequeat, nisi beneficio
cuiusdam πνευματωσίος seu fermentationis, quam ad omnē
coctionem semper tanquā necessariam adhibere natura solet.
hæc omnia volatilia redduntur, ut eo facilius corpori assimili-
lētur, proindeq; vix quicquam salis fixi in coctione rectè sese ha-
bente generatur. Apparet vis fermentationis in vino, cere-
visia, musto, è pyris, pomis, alijsque fructibus expresso: quæ o-
mnia ante fermentationem, crudiora, impuriora, ac proinde
minus solubria sunt, fecibus quippe adhuc conjuncta; Ubi au-
tem fermentare incipiunt, tum demum eorum πνευματωσίς
satis luculenter in conspectū prodit: omnia quippe quasi suis
cū exrementis pugnā quādam inivisset, majorem in molem af-
surgunt. Dum autem hæc omnia ita spirituascunt, ut sic lo-
quar, nihil aliud agunt, quam quod feces à corpore puro se-
cernant, corpus verò ipsum exaltent ac perficiant.

Talem πνευματωσίν aliquo modo, etiam humano in-
corpore cœctio molitur, ubi vel maximè salem fixum in ali-
mentis resolvere atque volatilem reddere conatur.

Et hoc quidem apparatu pro elaborando sanguine bo-
no corporisq; nutritioni commodo, natura sano in corpore u-
titur.

Secus autem in scorbuto accidit. In hoc enim ob' crudi-
dam & crassam victus rationem, in fermentatione, sine qua
perfecta esse coctio nequit, τνευμάτωσις esculentis salis copio-
fissimè in hisce cibis contenti, deficit aut imperfecta est & sic et-
iam eius τελέιωσις ύπο τῆς Φυσικῆς οὐκίς θερμή frustratur.
Laborat equidem naturæ robur, ut abundantem eius σωμάτω-
σιν corrigat, & spiritualem quasi atque animalem reddat : sed
tantà eius multitudine defatigatur, tandemque superatur, ut
majorem, quam par est, eius portionem fixam atque crassam
in corpore relinquat : Cuius generationi ampliori, cum occasio,
causaque sufficiens nunquam desit, eius copia quotidiè au-
getur. Quò autem maius hoc incrementum sumit, eð mi-
nus à naturæ viribus copiā obrutis ac paulatim debilitatis, vin-
ci potest.

Cumulatur ergo sal hic in mesaraicis, quas transgredi
ipse suis viribus non potest ; nisi proximis à visceribus allicia-
tur. Ab epate verò attrahi sine incommodo non potest, cum
ad sanguinis purioris generationem propter crassitiem mi-
nus sit dispositus, & is subtiliores tantum chyli partes, tan-
quam sibi familiares & commodas naturaliter appetat : & si a-
liquando de rudiore illa chyli parte aliquid præter naturam at-
trahat ; sanguis ex eo non nisi vitiosus, ad nobiliores partes a-
lendas minus aptus generatur : ex quo varia exsurgere corpori
incommoda possunt, ut supra dictum. Quare, lieni hasce
reliquias evacuandas ac præparandas relinquit, qui illas officij
ratione allicere & ab epate avertere conatur. Quia verò, ut
supra de scorbuti subiecto dictum, lien naturaliter non plus
humoris attrahere solet, quam pro sui vicinarumque partium
nutritione sufficit, quantumque in sanguinem transmutare
commodè potest, hic autem salis fixi tartareorumque hu-
morum multò major copia aggregata est, quam alias in cor-
pore rectè disposito natura admittere solet, illam omnem splé-
sine suo incommodo exhaustire non potest. Ergo necesse est ut
mesaraicis, quas egredi non potest, inhæreat, eiusque quanti-
tas indies augeatur.

Causa

VI.

Causa hæc προηγεί μέντοι oritur ex usu depravato rerum non naturalium, quæ causas Scorbuti externas suppeditant. Tali est Aer frigidus, crassus, squalidus, vaporibus marinis impuris &c: inquinatus.

Quantam vim in Offendendis visceribus Aer talis obtineat, docet Hippoc: tum alibi tum lib. de Aere aq. & locis, ubi in uliginosis terris lienes excrescere scribit: Non alia de causa quā quod in illis aēr crassis noxijsq;, qui simul inspirando hauriuntur, vaporibus, corruptus est. Et in specie ad hunc affectum eūdem plurimum conferre, ratione atq; experientia edocti, asserunt Weierus de Scorb. p. 3. Eugal. p. 2. Reusnerus de Scorb. exerc. 4. p. 157. quatenus eodem humores confunduntur, spiritus inficiuntur, corpusque deses &c elumbe redditur: testante Horstio Ex. 1. de Scorb. th. 13. Unde fit ut Scorbatus, locis maritimis & uliginosis alijs, ac imprimis peregrinantibus, mare longo itinere transeuntibus admodum sit familiaris.

VII.

Huc si videtur ratio accedat Melancholica exsuccruda, crassa, fœculēta, & uno verbo sale fixo abundans, plurimum addicti morbi generationem confert.

Nam cum cibi ac potus usum vix ulla die intermixtamus, ad calidū innatū, quod in corpore animalis continuo fluxu absimitur instaurandum; magnā alterandi, & si vitiosis sit, vires debilitandi, corpusq; destruendi vim, eundem obtainere oportet. Observavit hoc saepius Galenus, & inter alia 2. ad Glauc. c. 10. recenset plurimos in Alexandria Elephantiasī corruptos fuisse, qui farinā elixatam, lentes, cochleas, carnes afiminas & alia quędā, quæ humorē crassū ac Melancholicum generant, comedebunt. Et Hippoc. l. 6. de morb. vulg. sc̄t. 4. tex. II. refert, quod in Aeno, qui continenter leguminibus vescebantur, crurū impotentiam afflitti fuerint, in eāq; perseveraverint, & qui ervo in cibum utescantur, ex genuum dolore laboraverint.

Infelix huiusmodi ciborum effectus satis se luculenter in
Scorbuto etiam prodit. Fœcundum satis hujus semen profert,
omnis cibus frigidus, exuccus, crassus, præsertim semicrudus
devoratus. PANIS NAUTICUS bis coctus vetustate in-
duratus atque corruptus, mucidus: CARNES quas Galenus
3. de loc. aff. c. 7. Melancholicum sanguinem efficere afferit; qua-
les sunt bubula, caprina, hircina, leporina, aprugna; lardum;
PISES lacustres, Marini, concoctu difficiles ac pravi succi:
VOLUCRES aquis stagnantibus gaudentes. Quæ omnia si
putrida, rancida, fumata, ut in navigationibus ferè esse solent,
& imprimis sale vel aceto (acetum enim ut Mors est Choleræ,
ita Melancholiæ vita, secundum Hipp.) imbuta, ut ita Majo-
rem Spiritus figendi vim habeant, ad scorbuti generationem
eò magis conferunt; ut aliquoties monet *Reusnerus exerc. 4. de*
Scorb. & Weierus pag. 4. obs. de scorb. Quâ de causa nautæ septen-
trionales vix diuturnam navigationem suscipiunt, nisi reme-
dijs contra scorbutum instructi sint. EX OLERIBUS huc
referenda est brassica; ut & lentes, pisa, faba ac plæraque legu-
mina alia. Idem de caseo antiquo cendum est. Quæ cuncta,
uti pauci ut plurimum sunt alimenti; ita excrementitio humo-
re scatent.

Nec postremum locum hīc obtinent referente Eugaleno
pag. 2. A QUÆ frigidæ, graves, crassæ, impuræ, crudæ, subsal-
fæ; quibus Hollandi toto maritimo tractu ferè utuntur. Sensit
hoc integer Cæsar's exercitus, cuius *Plinius lib. 25. Nat. hist. c. 3.*
meminit, qui ex aquâ fontis cuiusdam mari vicini haustâ, in
σουακάνην ac σκελοτύεβην, dentibus cruribusque resolutis
magno suo in commodo incidebat: VINA crassa, nigra; quæ
etsi Majorem nutriendi vim habeant, tamen quia proper-
crassitiem difficilius concoquuntur, tardius distribuuntur,
Gal. 3. de facult. alim. c. 40. ac diutius in ventriculo harent: fa-
cile ab eodem si is paulò debilior sit, corrumpuntur & acescunt,
maximè ubi pendula sunt & ob impuri tartari ebullitionem
lentorem quandam contraxerunt. Imprimis magnam hīc vim
habet CEREVISIA crassa, turbida, non probè cocta, nec be-
ne defecata & nimis recens: præsertim, quando, uti sequenti-
bus

bus verbis testatur *Horstius de Scorb.* Exerc. i. th. 14. cum paucō lū-
pulo confecta, qualitates eas acquirit, quas ei *Dioscor.* l. 2. cap.
29. tribuit, ita ut præter alia nō cumenta flatus malosque in cor-
pore humores accumulet, quæ aliās additione lūpuli salictarii
corriguntur, qui aperiendo abstergendoque crassitiem obstruc-
tionis causam corrigit, adeoque sanguinis defecationem ex-
crementitarum partium separatione, adjuvat. Porrò pluri-
mū interest, num rectè præparetur maltum, ex quo cerevisia
coquitur, tum maceratione, tum etiam digestione atque exicca-
tione, quo flatulentæ qualitates deponantur, & verus spiritus
nutriens ob impedimentis corporeis aliquo modo liberetur.
Ubi contrarium accidit, impurior cerevisia coquitur, quæ qua-
litatem acquirit deteriorem, & cruditates atque obstrukções
intensius generat, ubi ad satietatem deferbere non permittitur,
& crassioris lixivii nuper fusi faciem referens, *ut inquit Reuf-*
nerus de Scorb. Exerc. 4, remanet, unde sedimentum cerevisiæ
tartareum aquositate ejus dilutum simul hauritur, & concoctio-
num officinas malignitate sua inficit.

Tota hæc victus ratio, non solùm excrementitias ac Mel-
ancholicas humiditates in corpore producere copiosas solet:
sed etiam πνεύματα in omni coctione naturali necessariam,
potenter impedire valet: quatenus scilicet ob fixum ac pertina-
cem tartarum, naturæ vim, qua omnia spiritulia quasi ac vola-
tilia reddere conatur nimis validè reprimit, & ab opere suo avo-
cat, eundem in mesenterio aggregat, proindeque ad causam
Scorbuti antecedentem, quam supra posuimus generandam,
magnum addit momentum, ut ibidem prolixius videre est.

IIX.

*Huc pertinet corporis motus, deficiens, velex-
cedens, veletiam tempore incongruo adhibitus.*

Nam motus planè omissus, calorem coctionis authorem
obruendo ac suffocando quasi debilitat, corpusque elumbe red-
dit: Contra nimius eundem resolvit ac dissipat, imprimis post
cibum sumptum. Tum enim à coctione eum avocat, & ad cor-

poris superficiem propellit, unde cruditates prodeunt, circa nutritionis viscera humores excrementitios accumulantes, quæ ansam Scorbuto præbere possunt.

I X.

Faciunt hīc etiam aliquid evacuationum consuetarum mensium, hemorrhoidum, &c. suppressiones.

Ut annotavit Wejerus Eugalenus & alii. Sanguis enim excrementitius in corpore p. n. detentus facile corrumpi, incrassari, & obstrukiones & alia mala causare potest. Idem quoque de alvi suppressione censendum.

X.

Somnus & vigilia hic etiam momenti quid conferunt si sint immoderatae.

Ille quidem, crudos in corpore succos auget, visceraque prægravat, teste Gal. l. 12. Meth. Med. c. 3. Hæc autem excedentes plerumque cum aliqua animi intentione ac tristitia conjunctæ sunt, atque exiccando calidum innatum secundum Galenum 3. de Caus. pulsuum debilitant atque absumunt, ut ad concoquendas & tollendas cruditates non sufficiat.

X I.

Inter animi motus omnes maximè hic locum habet Tristitia.

Hæc (ut & reliquæ causæ, modo enumeratæ) partim ad producendam causam antecedentem confert, dum spiritus vitales minuit, eorum generationem impedit ac depravat, calorem coctioni destinatum, ab eadem revocat, & ad profundas ac Melancholicas meditationes eo abutitur, & hac ratione crudum, glutinosumque succum, circa nutritionis viscera coacervat: partim verò præincipientis causæ rationem habet, quatenus *πεγνύγματι*, in corpore jam generatam & occultatam movet, irritat, & ad causam proximam deducit.

X II.

Ut autem Scorbutus rectè cognoscatur, & ab aliis

aliis affectibus distinguatur, signa ejus probè atten-
denda sunt. Hæc enim nisi sedulò perpendantur, atq;
in vice in eis cum causis suis conferantur, certi quid
vix suppeditabunt.

Signa enim Scorbuto propria pauca nimis sunt, plæraque
aliis affectibus communia. Pathognomonicum omni & soli
conveniens vix reperitur. Præsertim verò in principio ipsius,
ubi nondum confirmatus est morbus, non nisi plurium signo-
rum collatione, observatâ insuper viciss ratione &c. in ejus co-
gnitionem deducimur. Ubi verò altas jam radices egit, haud
rarò signis satis manifestis in conspectum prodit; sæpiissimè ta-
men alios affectus mentitur; & vix ullum morbi genus est, quod
non imitari scorbutus soleat, signis quandoque admodum ap-
positis, quibus doctissimis sæpe, ac probè exercitatis aliâs Medi-
cis imponit, eorumque industriam variis modis illudit. Repræ- *Affectus*
sentat enim febres intermitentes, inordinatas, quotidianas, ter- *quos Scor-*
tianas, quartanas, quinto vel sexto die redeentes, pestilentes; al- *batus fu-*
vi constipationem, diarrhœam, lyenteriam, dysenteriam, inanes *catis notis*
vomendi conatus, asthma, motus convulsivos, arthritidem, pa- *mentitur.*
ralsin, epilepsiam pleuritidem, hydropem, atrophiam, Lipo-
thymiam, carum, lethargum, delirium, erysipelas aliquosque plu-
rimos affectus, fallacibus notis promit, ut præter alios diligen-
tissimè annotavit Eugalenus tractatu de Scorbuto. Quæ tamen
plæraque usitata eorum quos repræsentat affectuum curatione
non tolluntur; sed potius propter causæ diversitatem sæpe ex-
asperantur.

Quomodo verò ab unâ Scorbuti causa tot tantaque pro- *Cur Scor-*
dire mala queant, non immerito mirari quis possit. Causam *butus toe*
hujus rei à tribus potissimum dependere arbitramur. Nam *sympo-*
Primo ad hanc symptomatum varietatem, quantum conferre *mata imi-*
possit partium diversitas, in quas materia morbifica incidit, no- *tetur?*
tius est quam ut enumerari opus sit. Deinde ad eorum multi-
plicationem multum facit occulta qualitas specificæ corruptio-
nis, quæ vel sola ad plures producendos affectus sufficere potest;
Imprimis *denig;* ubi subjecto tam mutabili, quale est humor hic

falsus ac tartareus; à quo Scorbutum dependere diximus, inhæret. Cùm enim vix ullum corpus, tam varias, promptius subire formas queat quam sal; qui instar Prothei mutabilis, nunc terram lapidis siccitatem, crassitatem, duritatem, pondus; nunc aquæ puræ translucidæ perspicuitatem, humiditatem, molitatem, agilitatem; nunc vaporosam aeris subtilitatem ac levitatem, nunc summam, ignis, penetrandi vim promptissimè induit: facile patet, qualitatem illam specificam, jam ante pluribus symptomatibus excitandis apravit, cum sāle diversimodè alterato, conjunctam, multò plures jam affectus producere posse.

Notæ qui-
bus affe-
ctus qui-
dam Scor-
butici ab
aliis dis-
cernun-
tur.

Ne ergo hisce affectibus Medicus decipiatur, opus est ut eorum signa plura, cum pluribus Scorbuti signis conferantur. Sic FEBRES SCORBUTICÆ plæræque ab aliis distinguuntur tum aliis signis, tum urinâ à principio crassâ, rubrâ, subfuscâ plurimis subsidentiis conspicua, à quibus nihilo clatior supereminens supra hæc urina extat, sed crassâ turbida, & quandoque subalbida persistit *Eug. de Scorb. p. 20. &c. 41.* Eadem purgationibus fortioribus, calidiorumque medicamentorum usu exasperantur, deliquum subitum ac suffocationem inducent. ALVI FLUOR Scorbuticus à Lyenteria differt, quod cibus non ita crudus ut assumptus fuit excernitur: à Diarrhoea, quod compacta plerumque excreta cibum assumtum copiâ superant propter acrimoniam causæ morbificæ, quæ excreticem plus æquo ad excretionem stimulat; A DYSENTERIA, quod sanguis ab excrementis separatus, absque lancinatione egreditur. Sic ARTHRITIS Scorbutica à vera Arthritide discernitur, quod in uno loco hi dolores quos Scorbutus facit non subsistant; sed errabundi ad alium atque alium ejusdem vel oppositi lateris articulum transeant, mox pereant, ac citò redeant, topicisq; imprimis de loco in locum fugentur. In PARALYSI hujusmodi motus omnis non tollitur, sed aliqua ex parte remanet. Imprimis decumbente ægro, quod in vulgari paralysi fieri non solet. HYDROPS Scorbaticus, tumore nonnihil duriore, quique digiti impressionem non adeo facilè admittit, ut veterum hydrops dignoscitur. PLEURITIS quæ ab hoc affectu oritur à vera pleuritide differt, eo quod tussi & sputo plerumque

rumque caret, dolor ex intervallo recurrit, cumque febri lenta
conjunctus est, cum pulsū parvo molli & inæquali. Et sic de cæ-
teris, quæ omnia accuratissimè suis de Scorbuto observationi-
bus annotavit Euge[n]enus.

XIII.

*In genere autem Scorbuti principia ac rudi-
menta produnt spontanea laſſitudo tensiva, & gra-
vitatis sensus, imprimis circa abdominis regionem tis.
Sine alia causa manifesta, crurum enervatio ac do-
lor obtusus, Pectoris angustia, respirationis difficul-
tas, præsertim à validiore corporis exercitio, Pru-
riens quædam gingivarum rubedo, Facies pallida
ex violaceo, nonnihil livescens, Urina ut plurimum
crassa turbida, alba. Quæ omnia, imprimis si crassa
victus ratio ac tristitia antecesserit, Scorbuti vere-
darii sunt.*

Hæc signa licet singula communia ferè aliis quoque affe-
tibus sint, ac proinde ex uno horum Scorbutus deduci nequeat;
tamen ex pluribus conjunctim sumptis, certius quid colligere
licet. LASSITUDO ET GRAVITAS CORPORIS,
seu *κόπος τονθης*, ut vocat Galenus l. 3. de San. tuend. c. 5. & 1.
aphor. 5. quo tendi quasi membra videntur, causam Scorbuti ex
parte arguit, quatenus, ut supra de generatione Scorbuti, dictum;
humorem vitiosum ac tartareum, cum sanguine, per venas, in
corpus distributum, & musculorum substantiæ communicatum
esse demonstrat; qui, cum habitui corporis assimilari nequeat,
& tertiam coctionem, ac proinde etiam nutritionem aliquo mo-
do impedit; vires corporis prægravat, unde gravitatis sensus, &
ab hoc laſſitudo oritur, imprimis in abdomine circa primas
vias, ubi primum materia morbifica colligi cœpit. Quâ de
causâ sæpiissimè languere magis quam ægrotare, à principio hu-
jus mali ægri videntur.

PECTORIS ANGUSTIA Scorbatica &c. inde orta
RESPIRATIONIS DIFFICULTAS causæ suæ sedem
non tam in ipso pectore, quâm in abdomen obtinet, in quo,
maximè tamen circa lienem, materia morbifica cumulatur; quæ
turgens, tum copiâ, tum malignitate partes vicinas, & inter eas
diaphragma quoque afficit, atque versus pectus & cor compri-
mit, unde molesta respiratio necessariò sequitur: Quâ de causâ
ægri de hâc angustia conquerentes, locum affectum non pectus,
sed loca proximè subjacentia, infra septum transversum mani-
bus demonstrant; teste oculato *Eugaleno de Scorb.* pag. 7. Et
Horstio Exerc. de Scorb. I. thesi 17. Per VALIDUM CORPO-
RIS EXERCITIUM, DIFFICULTAS HÆC AV-
GETUR, quia cōmotus humor vitiosus, & motu nonnihil atte-
nuatus, flatus excitat, & sic vehementiori inservit compressioni.
A CRURIBUS, DOLORE OBTUSO, aliquando
tensivo, mordicante, pungente, erodente, tundéte, imprimis sub
noctem, afflictis, sæpe maximum indicium desumi posse testatur,
Eugalenus de Scorb. p. 56, quia à fonte & somite mali descendentes
vapores, crurum musculis, membranis, nervis, aliisque parti-
bus immiscentur, quò fit ut plerumque non continuus, sed per
intervalla molestus sit hic dolor. PRURIENS GINGI-
VARUM RUBOR fit ab affluxu sanguinis serosi, cui hu-
mor seu vapor salsus, adeoque acris permistus est, quo pruritum
facilius excitare potest. FACIEI PALLOR, & color viola-
ceus ac lividus, causam à quâ oriuntur, facile indicant, corrupti
scilicet humoris in corpore collecti, atque cruditatis symbolum
præbent, quæ in Scorbuto propter coctionis defectum, semper
esse maxima solet. URINA, ut in omni cruditate, ita & in
Scorbuti principio CRASSA est, ALBA, ac TURBIDA,
nec semper per subsidentiam clarius redditur ob tartari impu-
rioris, in eâdem soluti, admisionem. Hic enim non subsidet;
sed per totum liquorem diffunditur. SÆPE TAMEN VA-
RIAT teste *Eugaleno* pag. 66. & in eodem ægro sine alia causa
evidenti permutatur, atq; nunc turbida & crassa postridie aqua
& tenuis, rursum citrina vel subrubea appetet, satis certò hujus
morbi indicio. Arguit enim causam morbi in varias formas
facile

facile mutabile. Quod si ab epotis medicamentis huic malo ap-
propriatis, postridie, aut post biduum ac triduum urinas ex tenuibus
in crassas commutari cernas, crasso sedimento subsidentes, teste
eodem, de hoc affectu adhuc certior eris. Docet enim medica-
mentum antiscorbuticum causâ morbi sibi contraria, jam in
arenam descendisse, eamque movisse.

Ex signis hisce si unum atque alterum adesse deprehendendis, cumque causis suis contuleris, simulque exploraveris, nunc quid patiens hereditario jure ad hoc malum inclinationem habeat; an Cachecticus sit; an versetur cum aliis hoc malo infestatis; aut in loco, cui idem familiare & endemium est; an crassa cruda, tartarea victus ratione utatur; an continuâ tristitia affligatur, &c. multò felicius ad scopum collimabis. Præsertim autem postrema duo, videlicet animi motus, ac victus, hoc loco non minus signi, quam causæ nomen sustinere possunt: adeo ut ipse etiam Eugalenus eos quos cum crassiore victus ratione diuturniore tristitiam exercere vidit, omnes, scorbuto, aut solo, aut aliis permixto teneri, constanter pronunciaverit, & felici curationis successu conjecturam suam semper comprobaverit.

XIV.

Gresente malo, intumescunt gingivæ laxæ, Signa
flaccescunt, sanguinemq; serosum effundunt, at q; non Scorbuti
sine fætore putrescunt, & nonnunquam simul ero- confirma-
duntur: Dentes vacillant, ut absq; dolore ex alveo- ti.
lis evellantur, omniaq; signa supra dicta evidenter-
ra ac pejora redduntur: Crura ad corporis onus
portandum ineptiora fiunt, non raro quandam quasi
Paralysin patiuntur, maculis variis, rubris, purpu-
reis, violaceis, fuscis, magnis, totum ferè crus te-
gentibus, certo hujus morbi signo, pinguntur; ali-
quando etiam tumoribus laxis, malignis, aliquando
atro-

atrophia infestantur, tantâ ut vix ossibus bærere videantur.

Oritur GINGIVARUM LÆSIO, ut supra dictum à fumis ac vaporibus malignis, salis acrimoniâ imprægnatis à materia morbificâ exhalantibus, & cum sanguine seroso, per venæ cavæ propagines ad venæ exterioris jugularis, gulæ adstantis ramos, quemadmodum pluribus describit Reusnerus *Exerc. de Scorb. 5. p. 277.* penes auris radicem juxta inferioris mandibuli clavum, ad os, fauces, linguam, palatum vicinasque partes, atque adeò ipsam, mollem ac laxam gingivarum carnem ad eos recipiendos aptissimam, delatis, ubi dicta mala producere facile potest, ut apud Eugalenum, Wierum, Reusnerum aliosque authores satis prolixè videre licet.

Eadem ratione per ramos Cavæ crurales ad CRURA nunc vapor nunc humor morbificus descendit, & extra venas ad superficiem corporis cum sanguine effusus maculas varias efficit: In musculos verò juncturasque scipsum insinuans pro vi- rium ratione, ac prout ibidem varie alteratur, varios ex dictis affectibus promit, ut etiam supra pluribus innuimus, & ab autho- ribus prolixè satis demonstratur.

Restat nunc ut ad prognostica, & curationem accedamus. Quia tamen in hisce cum authoribus, qui prolixius de iisdem scripserunt, & satis perspicue ea tradiderunt, per omnia ferè consentimus; eò breviores in iis pertexendis nos erimus, & paucis ea attingemus.

XV.

*Signa Pro-
gnostica.*

*Malum à principio curatu plerumq; facile est
sæpè paucorum dierum spatio tollitur, teste Eugal.*

Quia dispositionem pravam visceribus nondum adeo for- titer impressit, nec varias corporis partes tam vehementer occu- pavit, ut in Scorbuto confirmato, & antiquo, qui ob causam contrariam, curatudifficilior est.

XVI.

*Scorbutus confirmatus, successu temporis: planè
in*

*in Cachexiam, hydropem, tabem, semper autem ferè
in corporis exiccationem atq; absumptionem abit.*

Ubique enim sibi diu relinquitur hic affectus, nec medicamentis idoneis oppugnatur, vitiosam ac corruptam suam dispositiōnem validē visceribus coctioni dicatis communicat; epar ad noxios humores attrahendos assuefacit, & sic *malum corporis habitum* importat; Ichorem, humoribus adustis imprægnatum, ac flatus, fumis malignis infectos, pro materiæ ratione copiosos gignit; omniaq; alimenta simili corruptionis labe depravat. Ichor hic à natura sæpe ad crurum regionem, remotiorem quippe, amandatur; Unde crura, *hydropis quadam specie*, intumescent, usque dum humoris copia etiam ad femora & ulterius ascendat. Sæpius ob coctionis frustrationem, & calorem pravum Cordis, à fumis malignis Scorbuticis ascendentibus auctum, spiritus nimium incalescunt, habitum corporis exsiccant & absumunt, atque *atrophiam quandam* producunt, non nisi antiscorbuticis curabilem.

XVII.

Gravius affigit & difficilius curatur Scorbūtus in Senibus atq; fœminis, iis imprimis qui à parentibus ejus semina deduxerunt, quam in juvenibus ac viris, maximè verno ac autumnali tempore.

Senes quia caloris nativi defectum majorem patiuntur, quam juvenes, aepsiæ magis sunt obnoxii, ac propterea causis Scorbuti, à coctionis vitio dependentibus, minus promptè resistere possunt; sed sæpius succumbunt. Idem de sexu fœmineo sentiendum, qui & ipse, paulò frigidioris naturæ humorem feculentum ac tartareum, indeq; hujus mali causam promptius, quam par est, in corpore admittit, ac p. n. accumulat: præsertim consuetis aliâs evacuationibus suppressis. Nec parum hîc valet *nativa dispositio*, à semine parentum scorbuticorum inquinato, oriunda. Ab hoc enim uti omnia membra, ita etiam coctionis viscera formantur, ipsique aliquo modo similia redduntur: Unde leví de causâ malum admittunt, ac propterea curatio nisi ex-

quisitissima sit, patum efficax est. Sublatâ enim causâ, per medi-
camenta idonea, cito novam propullulare constitutum at dispo-
sitione corpus facit. ~~Ver non autem tempore tuin alii, cum vel imprimis~~
~~melancholici morbi, ad quos etiam Scorbutum referimus, fre-~~
~~quentiores sunt: Quia tunc omnes humores, tam in corpore hu-~~
~~mano contenti, quam extra illud existentes, ut etiam in aquis ac~~
~~spiritibus destillatis quibusdam apparet, conuentur ac turbantur,~~
~~noxiorumq; à bonis separationem intendunt; unde morbi o-~~
~~casio hoc potius quam alio tempore oritur. Autumno calor æsti-~~
~~vus interrumpitur, & ad frigus hybernum deducitur, ac propter~~
~~hanc aeris mutationem humores non nihil irritantur. Horę ejus~~
~~matutinæ, frigidiores plerumque, cutis poros claudunt, atq; in-~~
~~sensilem transpirationem impedientes humoribus noxiis cras-~~
~~sifisq; generandis ansam præbent. Meridie v, calor nonnullam~~
~~satis intensus, supercicies, sudoribus, partes tenues & aquosas evo-~~
~~cat & absimit, ac ita reliquias adurit. Adustæ autem partes scor-~~
~~bum existentes & ab humore diluente & acrimoniam ejus obtun-~~
~~dente deserte, tum demum hominem molestiâ afficiunt, & du-
mu suam, ut vocat Hippoc. in conspectum producunt.~~

XIX.

*Qui naribus sanguinem emittunt, in cruribus
maculas plerumq; habent, illæsis gingivis.*

Observavit hoc Wierus. Sanguis enim Scorbaticus, qui
alias gingivarum carnem subiisset, ubi ad nares derivatur, per
eas viam invenit illæsam dentium sedem, sibi vicinam relinquit.

XIX.

*Crurum maculæ, quo propius ad lividum, a-
trumq; colorem accedunt, eò pernicioseores sunt:
Præsertim si in ulcera aperta abeunt. Difficilimè
enim sanantur.*

Lividus atque niger liturarum, in tibiis, color humorem, à
quo oritur, Melancholicum, atrum, adustum, malignum, atque
exinde pertinacem arguit. Quâ de causâ, si in ulcera istæ maculæ
degenerent, curam difficilimè admittunt. Nam ipse Hippocra-
tes ulcera atra bilaria periculosa vocat. Hic enim humor, præ-

ter-

terquam quod suā naturā est valdē pertinax, & ad alterationem ineptus, etiam peculiarem malignitatem scorbuticam obtinet, ac propter salis tartarei admisionem acrimoniam habet insig-
nem, quæ ulcus erodit, topicorum vim iufringit, cicatricemq;
vix admittit. Sæpè gangræna tam vehemens supervenit, ut etiam ferrum immissum non sentiatur: teste Wiero pag. 8. de morb. in-
cogn.

XX.

Gingivarum tumor atq; erosio, nisi in tempore
præcaveatur, carnem omnem vicinis in locis ad ossa
usq; absunit, & os, tandem omnibus privat dentibus.

Humor scorbuticus, acri malignoque vapore imbutus, oris regionem mollem ac laxam invadens, eam non facile deserit; sed potius à communi suā sede, ex abdomen, mediante sanguine, commeatum satis amplum recipiens, vites sumit quotidiè ampliores. Durante autem causā, etiam effectum continuari necesse est, usque dum tandem locus affectus gangræna correptus, præsentissimum periculum ipsis oculis subjiciat.

Hisce peractis jam ad curationem respiciendum est.

XXI.

Cum symptoma, manente suā causā, tolli non Indicatio-
possit, causæ remotio primò omnium intendenda est,
atq; eò laborandum, ut Melancholicus, salsus, adu-
stus, tartareus, & suo modo corruptus humor ex
primis viis totog; corpore eliminetur, prava disposi-
tio tollatur, deficiens coctio & τευμάτωσις salis
compensetur, corruptio scorbutica inhibeatur, tar-
tareorumq; humorum generationi ampliori ansa o-
mnimodè præscindatur.

Purgationem quod attinet, nisi malum recens adhuc sit, eam unā vice absolvere non licet. Materia enim morbifica, ubi jam

in variis corporis partes se insinuavit, cum haud raro valde esse pertinax soleat, adeo fortem purgationem, quae ad eam totam, uno impetu exterminandam sufficiat, ferre nullo modo potest, sine presentissimo syncopes, pectoris angustiae, suffocationis, vel alterius mali, periculo, ut multoties observavit Eugalenus & alii.

XXII.

Ita ergo opera danda, ut natura, quo causam morbosificam eò promptius expugnare queat, onere suo quo-
cunque modo nonnihil sublevetur: quod, si ad est Ple-
thora, Et Sanguis non tantum qualitate, sed etiam
quantitate peccat, venæ sectione tentandum; Et qui-
dem mox à principio, dum eam vires adbuc ferre
possunt.

Ne autem sanguine emissso, succi crudiores è primis viis in
eius locum succedant, eumque confertim inquinent; lenitivum,
quod humores vitiosos atque adustos, primum obvios, blandè è
Lenientia corpore educat, præmittimus. Paretur ergo tale, ex fol: *senes,*
polypodium, fumariâ, Elect. lenit. de Manna, Diacatholico & simil:

XXIII.

Vene se-
ctio.

Administrato ita prius lenitivo, scalpello lato
vena aperiatur, parumq; sanguinis è Mediana vel
basilica alterutrius bracchii emittatur.

Utriusque enim, epate mediante pars est ad affectum locum
respectus. Scalpellum autem latum Wierus usurpari vult, ne è vul-
nere nimis angusto, subtilior sanguis prosiliat relicto vitioso; sed
ut per incisionem majusculam, etiam crassiores ejus partes pene-
trare possint. Parce sanguis evacuetur; ne vires magnam vim
patiantur, & causæ scorbuticæ tandem succumbant. Quod si na-
tura per alias vias, menses, hæmorrhoides, potius quam per v. s.
sanguinem evacuare tentet, non impedienda est; sed legitimis
remediis adjuvanda.

XXIV.

His peractis, ad causæ remotionem propius acce-
den-

dendum. Præparatæ ergo prius materia evacuandâ, Purgatio instituatur.

Si ullibi locum, illud Hippocratis, habet, quo *eūpoæ corpora* purganda reddere præcipit, certè hoc in affectu locum invenit: cum, ut dictum, purgationes fortiores nequaquam ferat scorbutus; levioribus autem humor tam pertinax non cedat, nisi prius ad motum legitimè dispositus fuerit. Digerenda itaq; materia iis medicamentis, quæ pro Melancholicis adustis atque ichorosis humoribus vulgo usurpari solent, & sine multa commotione concoquunt: qualia sunt; *rad. polypdii, asari, glycyrrhizæ, oxylapatbi, enulæ, irid. cort. radic. cappar. Scolopend: tamarix, cuscuta, capill. vener. beton. orig. hyssopus, chamaed: thymus, epithymus, sem. anisi, fænic: agni casti, urtica, tremor, & crystalli tartari, tartarum vitriolatum, syr. de quinq; rad. de eupat: de absinthio.* Adduntur utiliter quædam ex iis, quæ tartarum scorbuticum efficacius attenuare, in spirituosa m quasi raritatem resolvere, & sic utilibus partibus ab inutilibus separatis humoris coctionem atque excretionem potenter adjuvare valent. Hujus generis sunt ea, quæ hactenus occultâ proprietate scorbutum pellere credebantur, & omnia salem volatilem copiosum continent, quo fixum alterare, sibiq; similem reddere possunt, ut paulò post dicetur. Hic ergo magni usus esse potest *Aqua Scorbatica & aperiens Cl. Dn. Presidis. l. 5. Inst. p. 3. sect. 3. cap. 5. descripta, ut & illa Quercetani, quam pharm. dogm. rest. c. 7. descripsit.* His & similibus, pro necessitate exigente, sèpius usurpati quando materia evanunda, digesta, & ad fluxum, ac tutam facilemque purgationem, disposita est, Instituunt evacuatio mitis, sine magna commotione; ex *Rad. Elleb. nigri, polypod. fol. senæ, epithymo, Elect. lenit: diasema, conf. bamecb, Elect. Senato Renodæi, in dispens. August. pag. 59. descripto.*

Pulverem hunc, tam in hoc, quam in aliis affectibus utili-
lem valde commendat. *VVierus de morb. incogn. p. 12.*

*R. fol. senæ Electi. 3j tartari albi 3ß, (huic utiliter sub-
stitui posset tremor tartari) Epithymi 3ij, Cinamom. cary-
oph. galang, anisi, an. 3j Diagrydii 3ß. F. pulvis, cuius 3ij vel 3ß,*

Sero lactis, aq. fumar: vel simil. infusa, manè cum expressione cole-
tur & ergo propinetur.

Repetantur mites hujusmodi purgationes, interpositis
semper digestivis, ac præparantibus, quousq; humoris abun-
dantia idem præcipere videbitur.

XXV.

Sublatâ hisce remedio, magnâ ex parte hu-
morum vitiosorum faburrâ, & sic naturâ magno
onere sublevatâ, causa ultrius profliganda est,
operaq; danda, ut ejus reliquiis, undiq; per viscera,
sanguinem, ac totum corpus distributis, remedium,
quantum fieri potest, è directo contrarium, parti-
bus scilicet volatilibus abundans, opponatur, cor-
ruptio peculiaris tollatur ejusq; propagatio inhi-
beatur.

Dictum est supra thesi V. scorbutum dependere à sale fixo
ac tartareo, ex deficiente coctione ac πνευματώσει esculenti
salis, geniti: Unde ex Methodi Medendi legibus constat, ejus
remotionem, causæ quippè contrariam, consistere in salis sub-
tilis, ac volatilis usu, qui crudum tartarum corrigere, ac resol-
vere, ac deficientem ejus in coctione fermentationem, com-
pensare, obstructiones, aliaq; mala inde orta aperire ac tollere
potest. Abundant autem sale hoc ex plantæ, quæ odorem ac
saporem subtilem, aerem, vaporosum, penetrantem &c. habent;
ut sunt *Cochlearia*, *Nasturtium utrumq;*, *Trifolium aquaticum*,
Bekabunga, *Absinth.* *Card. bened.* *Armoracia*, *Raphanus*, *sinapi*,
Arum, *Chelidonium minus*, *Vermicularis* &c. ex quibus decocta,
aquæ, aliaq; medicamentorum formæ, pro cuiusq; libitu com-
ponuntur. Commodè quoq; usurpatur hoc decoctum, quod
Clariß. Dn. Praes., de febr. l. 2. c. 17. describit. *R. Rad. cichor.*
ʒj, *armoraciæ*, *ari* *prep. an.* *ʒB*, *Cochleariæ*, *Nasturtii* aq. *an.* *Mj*,
Card. bened. *fumariæ*, *centaur. nim.*, *absinthii* *an.* *Mi*. In MB. va-
se diligenter clauso (ne spiritus salini volatiles, & cum iis præcipua-

Medica-
mēta anti-
Scorbuti-
ca.

vis antiscorbutica evanescat) coqu: in vini boni, vel sericaprini
s. q. F. potus, de quo eger singulis diebus haustum unum hauriat.
vel in hujus locum, ut ventriculo & palato consulatur, substi-
tuantur aquæ ex his destillatæ.

Ad peculiarem corruptionem ac putredinem tollendam
& præcavendam, commodè frequenter usurpatur sp. salis & si-
milia, quæ ad eradicandam & impediendam eam momenti
quid habent.

Semper autem hîc attendendum est, quorsum materia ¶ A.
morbifica maximè vergat, per quas vias, per alvum né, an per
urinam, an verò per sudorem natura illam externimnare con-
tetur, ut remediis idoneis additis, adjuvari possit, sicq; conjunctis
viribus & medicamenta & natura contra morbum insurgentia,
palmarum eō maturius reportent.

Et hâc quidem ratione morbus ipsius tractandus est; quo
remoto, etiam symptomata ut plurimū cessare solent, nisi al-
tas jam radices egerint, locumque affectum vehementer admo-
dum obsederint, & ex diuturna consuetudine jus sibi sumpse-
rint. Tum enim vel imprimis ad illa quoque respiciendum.
Ubi tamen eadem ferè quam tradidimus, curandi ratio locum
habet. Hæc igitur quia nimis multa sunt ac varia, singula in
specie hîc non tradidimus, cum instituti nostri ratio id non con-
cedat, & eadem satis diligenter ab Eugaleno, Wiero & aliis
proposita sint. Pergimus igitur ad Diætam, & ad præser-
vationem & ad curationem scorbuti accommodatam.

XXVI.

Scorbuto decumbens, aut ejus periculum me- Diæta.
tuens, fugiat, aerem impurum &c. thesi 6. descri-
ptum; & eum potius eligat, qui cause morbi contra-
riatur, videlicet calidum moderatè siccum, ac
purum.

Aer, non tantum in procreandis, verum etiam pellendis
morbis non paucis, saepe est efficacissimus; cum ne momento
quidē eo careamus. Quemadmodū igitur aer frig. hum. squali-
dus,

dus, scorbutum concitat, ac foveat; humores ac spiritus in corpore inquinando, coctionemq; turbando: ita contra moderate calidus, siccus, ac purus, effectu contrario, coctiones & digestiones in corpore perfectiores reddendo &c. ejusdem generationem impedit. Sit igitur aut naturâ talis aut arte per ignem, ac fumum fragrantem, ex lauro juniperis, succino, mastice &c. talis reddatur.

XXVII.

Inter cibum ac potum is maximè fugiatur, qui succum præbet Melancholicum ac tartareum, qualem supra tb. 7. recensuimus; contræ eligantur cibi boni succi, minimè excrementitii, coctionis facilis; attenuandi, incidendi, detergendi, fixig salis coagulationem impediendi ac tollendi vim habentes.

Hujus notæ sunt ptisanæ tremor, hordeum, juscule gallina vel pulli incoctum, passulis, thymo, roremarino conditum: Item carnes pullorum, gallinorum, phasianorum, turdorum, piscium saxatilium &c: quæ omnia aromatibus ad gratum saporem condantur. Embammatum loco usurpentur, rad. raphani, armoracia contusi, cochlearia, nasturtium utrumq; sinapi &c. quæ omnia huic malo contrariantur & ad sanitatem conducunt. Omnia acida, quatenus talia, imprimis acetum simplex, extremè fugienda, cum coctionem ac fermentationem impedian & ad affectionem Scorbucam disponant. Potus, cibo qualitatibus respondeat. Sit igitur vinum bonum, (ut & cerevisia) purissimum, absinthio, Card. bened. scolopendriâ, hyssopo medicatum; aqua pura, pellucida, serum lactis caprilli, in quo cochlearia, nasturtii, bekabunga nonnihil ebullierit.

XXVIII.

Corpus commodo tempore imprimis ante cibum exerceatur, atq; opera detur, ne consuetæ evacuationes suppressantur: Somnus & vigilia mediocres

diocres sint: Omnes tristes animi motus, quantum fieri potest, fugiantur; potiusq; licitis oblectamentis mens reficiatur; at q; studiosè in id laboretur, ut omnis rerum non naturalium usus morbi causis sit contrarius.

Quæritur hic obiter,

- I. Cur panis azymus difficilioris sit coctionis quam fermentatus?
- II. Cur è musto ex uvis, aliisq; vegetabilibus spiritu alias abundantibus, spiritus, nisi fermentatio præcesserit, elici ac separari non possit?
- III. Quomodo ex vino fiat Acetum?
- IV. An ex aceto iterum possit elici spiritus vini?

SOLI DEO GLORIA.

Ad Præstantissimum Literatissimumq;

Dn. MATTHÆUM BRENGGERUM
Medicinæ Studiosum, Amicum meum nunquam non
honorandum.

Quod BRENGGERE volo, non possum pangere.
Carmen

Nam tibi APOLLO omnis, sed mihi nullus, adest.

Suo

L. Mg.

M. ANDREAS Herrenschmid
Facult. Philosoph. Adjunctus.

ALIUD.


Indolis alta tua vis est. Nam quicquid adornas,
Nec vulgare sapit, nec capit ingenium.

E

Et

*Et jam quis dubitat, quin sint exacta rotundè
Quæ de SCORBUTO dis-tua Musa-serit?
Quin sint talia, qui dubitavit in omnibus olim,
Non dubitaturum judico Carneadem.*

Suo unicè caro capitî
I. m. adponebat
M. JOHANN. NICOL. SCHÜLIN
Gnadtstadio-Fr.



A L I U D.

Per docti, BRENGGERE, patris benè culta propago,
Rite facis, quod nunc æmulus esse studes.
Pœonias artes junxit, doctamq; Mathesin:
Exemplum hoc pariter te coluisse docet.
Indolis ingenita est tibi vis; hâc utere gnavus:
Ut possis Patrem postq; referre gradu,
Constituit SUMMUS titulos sudore parandos.
Qui nunc sentis onus; mox comes erit honos.

*M. CHRISTOPHORUS KIRCHERUS
S. S. Theol. St.*




A L I U D.

O Quantum decus est, ô gloria quanta labores
Conatusq; suis edere magnanimos!
Divitiæ pereunt, orbisq; caduca voluptas,
Gloria difficulti parta labore manet.
Tu quia præ reliquis igitur conatibus audes,
Præclaris Sophia premere sacra tua;
Præside Sennerto, qui splendida gemma Sophorum,
Atq; artis Medicea duxq; caputq; sagax.

Hinc

Hinc tibi contribuent viētricis præmia palme
Musæ, quæ Doctis contribuisse folent.
Pol, benè respondes patriis, Doctissime, votis,
Ac inter Medicos laus tibi magna manet.
Fac pergas alacri curâ, clypeumq; tenaci
Fac tractes palmâ, dulcis Amice, tuâ
Sic ventura tuum tollent ad Sidera nomen,
Saculæ, sic Medices munera grata feres.

M. Johan. Albertus Steinmüller/
Augustanus, SS.Theol.Studiosus.



A L I U D.

Nunc hiems exest nimis inquieta:
Picta nunc Veris facies refusit,
Qualis exorti rediviva Phœbi
manè quadriga.
Magna, prædulci vice, Mater omnes
Corde mœrores jubet exulare,
Et renascenti nitet ore, pulla
Veste remotâ.
Non gelu ac udi genitura palans
Aëris, denso ruit hinc & inde
Agmine: ingenti nec humum recondit
Mole gelatum.
Sed plagæ Mundi variis coruscant
Rebus, & nostris liquidò sat oclis
Ingerunt primis loca nata Trinô
Numine, seclis.
Jamque spem largi minitatur anni
Jamque sudorem Agricolarum amoenant
Arbuta, & campi & Cereris juventâ
Splendida culta.
Exprimit BRENGERUS id ipsum ad unguem:

Æmulus verni jubaris, futuri
Æmulus verni uberis, ingenI almo
Percitus cœstro.
Hactenus cautâ studiorum in umbrâ
Abditus, cæcos juvenum impotentum,
Risit ausus, præcipitesque abortus
Risit ubique.
Quos StudI Pestis malè sana, largè
Parturit: lusit fatuum brevemque
Impetum: sannavit eum unius vix,
Dedecus horæ
Donec & vires pariendi adessent
Vividæ, donec sibi polliceri
Et suæ posset soboli, morantes
Aeviter annos.
Hinc fide subnixus adultâ adulti
Robotis, mandata solo laborum
In vigorem in prænitidos adauctus,
Semina mittit.
Fœnus immensum egeniturus olim
Fructuum, quo(sic calidè præopto)
Perfruatur, cum patriâ, ipse, & ipsa
Terra polusque.

l. mgz.

M. Johannes Eberfen/
Ulmensis Suevus.

F I N I S.